

avexerat, pontifici maximo donaturus. Ex Ancona Pius illud in arcem Narniæ transferri sancteque asservari mandaverat, donec belli tumultus in Piceno atque Umbria excitati quiescerent (85). Pacatis tandem rebus, cum insigni hoc vellet thesauro Vaticanam augere basilicam, sub initium anni 1462 tres Narniam **50** præcipuæ dignitatis ac nominis cardinales direxit, nempe Bessarionem nostrum, Alexandrum tit. S. Susepnæ (86) et Franciscum Picolomineum (87) qui debito illum cum honore in Urbem deferrent. Hi Narniam profecti, et sacro recepto pignore, Romam versus, occurrentibus undique populis, remearunt. Ad pontem Milvium qua die venerunt (ea fuit Dominica Palmarum, pridie Idus Apriles) sacrum λατρεῖον in turri, quæ ibi etiam nunc est, decussissime collocarunt, relicti interim archiepiscopis Beneventano ac Sipontino qui vigiles excubias agerent et luci custodiæ cum omni auctoritate præessent **51-52**. Quo ritu autem ac celebritate pontifex S. Andreae caput in Urbem intulerit, ipsum habet Lector narrantem in Commentariorum suorum libro viii.

XL-XLII.

Erat atque etiam nunc est in agro Tuscolano cœnobium ordinis Basiliani, vulgo Cryptæ-Ferratæ nuncupatum (88). Eo nullum ecclesiasticæ ditio præclarius habuerat a longo ævo, seu monasticam species **53** disciplinam, sive opes ingentes ac fundos, quibus ducentos et ultra monachos diu aluit sustentavitque. Sed, ut fluxæ plerumque ac mutabiles res hominum sunt, ita sensim a primæva dignitate recesserat, tantasque in bonis ac possessionibus jacturas fecerat, ut Pio II regnante vix tenue antiqui splendoris et famæ vestigium retineret. Id pontifex animo versans, et gliscenti huic malo validum promptumque remedium opponere cupiens, v Kal. Septembris 1462, prælaudati cœnobii regimen atque administrationem Bessarioni nostro tanquam abbati commen-

(85) Hujus facti memoria, etsi longe posterius scripta, exstat in sacello arcis Narnensis, eaque sic habet :

SACELLUM HOC
CUI ASSERVANDUM TRADIDIT
ARCIS PRÆFECTUS
EX ACHAIA ADVECTUM CAPUT
ANDRÆE APOSTOLI
PIO II SEDENTE MCCCCLXII
DUM PURPURATI TRIDUUM
AD URBEM DEFERRENT
IN BASILICA LOCANDUM VATICANA
FORMÆ REDDIDIT DECENTIORI
NICOLAUS CANDIOTTUS
PROTONOT. APOSTOLICUS
ET GOVERNATOR MDLII

(86) Alexander de Oliva, domo Sentinas, ex magistro generali ordinis Augustiniani, card. presb. tit. S. Susannæ a Pio II creatus fuit an. 1460. Vite sanctimoniam claruit et beatorum albi ascriptus fuit. Obiit Tiburi 21 Augusti 1463, cum condum senilem atque aetatem attigisset.

(87) Franc. Todeschini, patria Senensis, et Pio II nepos ex sorore fuit eamque ob causam as-

datario commisit (89); sperabat enim fore ut ejus studio atque amore summo quo Basilianam prosequeretur familiam, nobile illud monasterium amissæ disciplinæ decus reciperet multaue statim juris beneficio vindicaret quæ ipsi tum hominum fraus, tum vis armorum abstulerat, dum bello civili omnia circum arderent et Romanæ nobilitatis procures odio acerbissimo inter se decertarent.

XLIII.

Nec vero irrita pontificis vota fuere: siquidem Bessarion, vetustis diplomatibus instrumentisque et chartis ejusmodi solerter excussis, id primum curavit ut scripta hæc omnia in librum concinne digesta referrentur, ne sua cœnobio jura in posterum deficerent, neu monachis, ut sæpe contigerat, penitus essent inutilia atque ignota (90). Mox bonis recuperandis vitæque **54** cœnobiticæ legibus instaurandis intentus, haud modice famam ac monasterii fortunas recreavit; nam et ædes squallore obsitas ac præ nimia vetustate labentes restituit et sacris indumentis pretiosaque suppellectili ecclesiam instruxit. Hujus rei testes etiam nunc sunt cum stemma ipsius gentilitium quod ibi visitur, tum donaria nonnulla quæ in sacrario asservata supersunt. In eo, ut certior sum factus, calix unus existit magni ponderis, ex argento inaugurato confectus, cujus in basi hæc litteræ insculptæ leguntur: BESSARION EPISCOPUS NICÆNUS. Præterea duæ ibi sunt casulæ, seu, ut Græci vocant: phænolia; sericum unum, rubri coloris, aureis floribus inspersum, et sacris post humeros et ante pectus imaginibus ornatum, quæ phrygio simul opere atque auro refulgent; alterum ex auro totum et figuris Domini passionem exhibentibus alfibre intextum.

XLIV

Vidimus supra Josephum, Cpolis patriarcham, Florentiæ, antequam synodo finis

citus in Picolomineorum familiam. Cardinalatum ab avunculo obtinuit an. 1460, cum adhuc esset admodum juvenis. Multas legationes et Ecclesiæ negotia gessit. Doctos homines amantissime fovit, ut ex plurimis præstantium virorum epistolis patet. Post Alexandri VI obitum Petri cathedram ascendit sub nomine Pii III, eodemque anno, qui fuit 1503, obiit.

(88) S. Nilus abbas, in Calabria ortus, D. Basilii Institutum professus est, eaque in regione ac deinde prope montem Cassinum et Caletam urbem magnis virtutibus claruit. Anno 1004 monasterium Cryptæ-Ferratæ a fundamentis erexit, plurimum adjutus munificentia ac opibus Gregorii, comitis Tusculani. (Scionum, in notis ad monast. Cryptæ-Ferratæ Romæ editis 1728.)

(89) Idem Scionum., lib. cit.

(90) Habuit hoc cœnobium insignem quoque ac copiosam codicum optimorum bibliothecam quos antiqui monachi calligraphiam exercentes eleganter descripserant; sed horum pars magna ac potior temporibus Sixti V et Pauli V pontificum in Vaticanam bibliothecam illata est; reliqui vero, jussu Urbani VIII in Barberinam postea transierunt. Vide Petrum Pompilius Rodota, lib. ii, cap. 2.

imponeretur, diem clausisse supremum. Iosepho Gennadius seu aliter Georgius Scholarius in throno patriarchali successit (a), qui, 55 Græcos a fidei unitate resilientes voce ac scriptis in officio retinere conatus est, et Marci Ephesi calumnias, quibus amenti furore stimulatus Latinam onerabat Ecclesiam, docte non minus quam pie refutavit. Hujus postea, cum patriarchatu abisset, Pio II jubente, locum tenuit Isidorus cardinalis Ruthenus, ad eam dignitatem ideo promotus quia concordiam studiosus et Græcis diu notus ac familiaris, omnium unus maxime idoneus ad synodi decreta tuenda videbatur. Cum vero is quoque longo diffellique morbo consumptus e vita migrasset v Kal. Maias 1463, pontifex oculos in Bessarionem coniecit, ejus doctrinæ fama ac virtutis præstantia fieri posse arbitratus ut Orientalis Ecclesia sanctiones eas firmas ac ratas esse vellet quæ in concilio fuissent unanimi sententia receptæ, nec ultra veritati obsisteret, tot præsertim ac tantis calamitatibus edocta, quæ in Græcam gentem confluxerant, postquam, imperio deleta, barbaricæ feritatis jugum subierat.

XLV.

Paulo antea, hoc est Kal. April. 1463, Chalcedensis Ecclesiam in Eubœa insula præsul a Pio eodem fuerat declaratus (91); sed novo hoc auctus patriarchatus fastigio, nullam rem habuit potiorē quam ut ea statim ageret quæ sui muneris esse et ad suam pertinere sollicitudinem ac fidem putabat. Itaque litteras encyclicas, doctrinæ atque amoris plenissimas, ad Græcos universos 56 dedit, in quibus non modo illos de sua fecit electione certiores, sed omnia collegit recensuitque argumenta quorum vi tandem resipiscere et statutam cum nostris unionem deberent amplecti. Ac primo commemorans quantum Græca natio sive imperii gloria, sive optimis artibus ac disciplinis supra ceteras nobilis ac florens evaserit, causas exquirat cur o sublimi hoc vertice in extremas corruerit humani generis calamitates. Exin ostendit, non aliunde ortas has ærumnas videri quam a longo diroque schismate, quo Græci inconsutilem Domini tunicam scindentes, a cœtu orthodoxo recedere nequaquam sunt veriti, ejus sceleris, audacter commissi et pervicacius defensi, nunc pœnas divina justitia reposcat. Hinc, rationibus in medium prolati ob quas Græci Patres concilii decretis in fidei unitate subscripserant, perspicue docet, Romanam Ecclesiam omnium caput ac principem esse, nec ab ea quemquam baptismo renatum sine

magno piaculo et salutis æternæ discrimine disjungi posse. Postremo cunctos hortatur ut dimissis contentiosis hominibus qui odio potius et æmulationis studio quam pietatis et veritatis effectū vana in Latinis errorum simulacra confingunt, Romanum pontificem, ut verum ac summum totius Ecclesiæ pastorem fateri tandem atque agnoscere velint.

XLVI.

Ex Viterbio, ubi tunc feriabatur. Nicænus, v Kal. Junias 1463, hanc misit ad Græcos encyclicam, sigillo tantum cardinalitio munitam, atque ita e Petri Arcudii versione subscriptam: *Bessarion, miseratione divina cardinalis et œcumenicus patriarcha Constantinopolensis novæ Romæ, subscripsi.* Torsit Arcudium hæc vox œcumenicus, putavitque Nicænum vel ea nusquam usum fuisse, vel si hoc loco usurpavit, id exemplo fecisse patriarchæ Josephi, qui Romanam Ecclesiam in synodo Florentina omnium supremam agnoscens, in sua tamen fidei professione œcumenici nomen retinuit, nemine prorsus impediēto, aut ipso adversante Eugenio pontifice. At hoc ipsum valde suspectum ac dubium videtur Horatio Justiniano qui recto animadvertit (92) monetque, pontifices Romanos nec sibi unquam hunc titulum arrogasse, nec in alio quoquam tulisse, postquam Gregorius Magnus Joanni Jesunatori, patriarchæ Cpolitano, qui primus œcumenicum se dicere ausus est, invictō restitit animi robore, ejusque superbiam atque insolentiam austeritatis furore velatam detexit. Plura super hæc re Justinianus adducit historiarum documenta quæ Nicæno, 57 homini docto et in rebus ecclesiasticis apprime versato ignota fuisse nemo crediderit. Non ille igitur hunc sibi titulum arripuit, sed Græci potius librarii nonnulli tanquam Ecclesiæ Byzantinæ proprium de suo adjecere. Id ut statim libentius hoc faciat quod hujus encyclicæ exemplum ex autographo descriptum in codice habetur bibliothecæ Barberinæ (93), nec ibi ulla œcumenici denominatio, sive in capite, sive ad calcem epistolæ occurrit.

XLVII.

Humanæ caducitatis ac sortis memor Nicænus, locum sepulchri construendo quærebat, qui sua post mortem ossa contegeret. Huic rei aptum sacellum putavit in ipsa erectum basilica SS. xii Apostolorum, ac D. Eugeniæ dicatum, ejus sacras a longo tempore servabat exuvias. Sed cum ædificium præ nimia vetustate fatisceret ac omnem fero amississet non modo elegantiam, sed etiam formam

(91) Ex lib. iv *Obligat. sac. colleg.*, p. 52.

(92) In *Actis conc. Florent.*, Romæ 1658, p. 525.

(93) Codex bombycinus est ac n. 489 signatus. Ad pag. 105 hæc legitur Bessarionis ad Græcos encyclicæ, eique subjectum librarii testimonium hujusmodi: Τὸ πρὸν γράμμα κατὰ λέξιν ἐξισάζει τῷ πρωτοτύπῳ. *Præbens scriptura ad verbum concor-*

dat cum originali. Epistolæ titulus ita se habet: Βεσσαρίων, ἐλὲν Θεοῦ τῆς ἐρᾶς; Ῥωμαίων Ἐκκλησίας καρδηνάκης καὶ Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχης. Subscriptio autem: Βεσσαρίων καρδηνάκης ἐλὲν Θεοῦ πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης οἰκετὶς χάριτι ὑπέγραψα.

(a) Hic omnino falsus est auctor. Gennadius Iosepho non successit nec « Græcos a fidei unitate resilientes in officio retinere conatus est. » Epit.

decentis aspectum, suis illud sumptibus reficere atque ornare constituit, dummodo sibi suisque hæredibus nominandis Romanus pontifex sacellum idem tanquam jure gentilitio possidendum concederet. Gratam summo opere hanc Nicæni deliberationem habuit Pius, ex eo maxime quod cardinalis jam tum sacello eos annuos destinabat proventus qui unum saltem presbyterum alerent, cujus **58** essent partes, ut sacrum ibi quotidianum atque alia officia perageret. Itaque litteris in vulgus emissis pridie Kal. Maias 1463, omnia et singula ab eo postulata benigne indulsit (**94**) atque apostolica simul auctoritate firmavit.

XLVIII.

Ingens exarserat anno superiore inter Dominicanos et Minoritas contentio, inde orta quod Jacobus Picens, quem sacra facundia insignem jam supra ostendi, in suis ad populum concionibus Christi sanguineam passionis tempore effusum a divinitate sejunctam pronuntiasset. Cum dignam censuram hujusmodi assertionem Dominicani esse dicerent, idque Franciscani negarent, et suam uterque ordo sententiam acerrime propugnaret, veritus pontifex ne aliqua hinc flamma exitialis erumperet, huic liti mature occurrendum palavit. Quæstionis igitur iudices Nicænum atque Alanum cardinales (hic enim Dominicanæ familiæ, ille Minoritarum erat patronus) elegit deputavitque et omnimodam pacis reconciliandæ largitus est potestatem. Hi, partibus ad se vocatis, rationumque momentis theologicis accurate perpensis, silentium utrinque deinceps servandum decreverunt. Et quoniam Jacobus Brixienis, Dominicanæ partis in hoc conflictu antesignanus, in quibusdam defecisse, in aliis vero excessisse apparebat, mandato iudicum veniam petere a Picente Jacobo jussus est, cui pontifex insuper honorificas litteras in suæ testimonium innocentie concessit (**95**).

59 XLIX.

Etsi Pius nunquam animo belli sacri cogitationes dimiserat, tamen hoc anno 1463 in id vehementer cœpit incumbere, cum totam ferme Italiam pacatam jam cerneret. Eo autem magis hoc studio ferebatur quod Veneti, ob clades in Peloponneso nuper acceptas et belli gravissimi periculum impendens, armorum societatem, ut antea fecerant minime videbantur aspernaturi. Quamobrem nihil ultra differendum ratus, Bessarionem eo misit legatum, qui Sedis Apostolicæ nomine iterum fœderis leges proponeret, senatumque hortaretur ad classem prævalidam ope communi parandam, cujus tantum ro-

bore ac præstantia spes erat posse hostium vires, nondum æque ac bello terrestri metuendas, infringi. His ille instructus mandatis ad Venetam profectus est urbem, et navis excelsa, quam Bucenaurum vocant, exceptus, eos omnes a senatu et duce Christophoro Mauro honores retulit qui magnis tantum principibus concedi solent (**96**): nam et inter patricios reipublicæ confestim adlectus est, et in supremis admistus comitiis aureum globulum non urna clausa, ut cæteri, sed aperta extraxit. potestatemque eligendi magistratus nullo sortis discrimine obtinuit.

L.

Venetis cum degeret et legati munere fungeretur, oratorium quod pertinet ad vestustam ac prænobilem sodalitatem seu scholam, ut aiunt, Charitatis, invisere optavit. Eo inspecto, cum illum custos et sodalium primores orassent ut suum quoque nomen sodalitis ascribi **60** permetteret, eorum preces humanissime admisit, et ritu instituti servato, albam sodalitis vestem accepit. Deinde piis moribus religiosisque Societatis operibus magnopere delectatus, ut gratum se illi benevolamque probaret, antiquam tabulam, in qua Græco more reliquæ clauderantur insignes (**97**), dono obtulit, ea nihilominus lege ut cinelion hoc sacrum penes se ad obitum usque remaneret. Et ne ulla posthac oblivio aut occasio incideret voluntatis commutandæ, iv Kal. Sept. 1463, notarii manu chartam donationis inter vivos confecit. Verum cum postea, hoc est sub initium anni 1472, in Galliam legatus abiret, senique jam gravis tum vitæ exitum, tum itineris casus pertimesceas, hanc amplius **61** noluit præclaram tabulam domi retinere, sed Venetias præmisit, quemadmodum e litteris patet quas e Bononia ad sodales Charitatis dedit iii Idus Maias 1472 (**98**).

LI.

Rerum gerendarum scientia ac morum suavitas, qua hominum animos sibi facile cardinalis devinciebat, brevi effecere ut, omni hæsitazione sublata, Venetus senatus in pontificis vota concederet fœdusque tandem percuteret quo nullum Italia gloriosius ac salubrius unquam conspexerat. Fœderis conditiones utrinque approbatas subscriptasque xiv Kal. Novembr. 1463, miro populus favore atque animi lætitia incredibili **62** audit. Solemnnes inde per urbem supplicationes ad opem divinam implorandam decrevæ, ac legatus in celeberrimo D. Marci foro cum bellum Turcis publice indixit, tum Ecclesiæ thesauros universis reclusit qui vel arma corripere vel aliquam pro viribus pecuniæ

(94) Vide Append. monum., n. 6.

(95) Pontificis has litteras ex autographo desumptas refert Wadding. *Annal. Minor.*, tom. XIII, p. 264.

(96) Vide Schioppalab. *Dissert.*, de qua inferius.

(97) Reliquæ quas tabula hæc, variis imaginibus et laminis argenteis ornata, continet, duæ sunt

Dominicæ crucis particule, duoque fragmenta lunice qua Christus Dominus usus est, in totidem thecis argenteis inauratis reposita. Qui plura de insigni hac tabula nosse cupit, is adeat Joan. Baptistæ Schioppalabæ *Dissertationem* quam Venetiis edidit an. 1767.

(98) Vide eundem, *ibid.*

summam conferrent. Ut vero et ipse, quantum domesticæ rationes sinebant, exemplum cæteris munificæ largitatis præberet, suo ære atque impensis triremem construi ac rebus omnibus ad pugnam aptis communi mandavit. Lætum hoc punctum ut Pius accepit, et animo valde recreatus est, et Veneto oratori apud se agenti negotium dedit ut reipublicæ maximas suo nomine grates laudesque rependeret.

LII.

Ex eo tempore quo belli societas declarata est, omnem Veneti ac pontifex curam classi ornandæ sociisque navibus atque armis in usum pugne maritimæ apparandis dederunt. Assidua hæc occupatio hiemem totam absorpsit, nec ante cessavit quam anni sequentis æstas jam esset adulta. Interim Nicænus in conubio S. Georgii Majoris, nequam animæ piæ facultatem suarum dispositionum conceperat, morbo præventus imperfectam relinqueret, ultimum condidit testamentum per acta rogatum Joannis de Heesboem imperialis notarii xiii Kal. Mart. 1464. Chartæ hujus exemplum, quod suo loco transcriptum exhibeo (99), tabularium asservat basilicæ SS. XII Apostolorum. In eo præter alia notatu digna, legenti animadvertere fas est quot ille quantisque donis D. Eugenium sacellum ditaverit, sive in argento confecto, sive in sacris vestibus, ac rebus diversi generis haud modici quidem 63 valoris. Læet etiam cognoscere qua forma sepulcrum in eodem sacello sibi fieri præceperit, epigraphen statuens paucis his verbis in fronte ponendam: *Bessarion, episcopus Tusculanus, S. R. E. cardinalis, patriarcha Constantinopolitanus, sibi vivens posuit.*

LIII.

Paratis jam omnibus ad profectionem et bellum opportunis, ipse dux Venetus Christophorus Maurus, comite legato apostolico, classem conscendit xiii Kal. Augusti, atque iter Anconam versus direxit, ut illic se cum pontifice et reliquo triremium apparatu jungeret. Eo Pius, morbo impatiens, aliquot ante dies pervenerat, sed validudine adeo affecta, ut corporis vires penitus fractas vix animi robore sustentaret. Itaque, hoc unum assecutus ut classem ubi adventantem conspiceret, in lectulum decidit, auctoque febris ardore, ultimum sibi diem adesse cognovit. Quamobrem, Ecclesiæ sacramentis susceptis, cardinales qui secum tunc erant ad se vocari jussit. His oculus cubiculum ingressis, veniam primum, si quid minus bene administrasset, poposcit; mox, deficiente jam spiritu, vocibus interruptis fidei custodiam omnibus et Ecclesiæ universalis curam commendavit; ad hoc enim in supremum religionis senatum adlectos fuisse 64 ut consilio et opera Christianæ rei periclitanti succurrerent, et populis faciem præferrent in

Dei lege adimplenda, qui pro ejusque merito præmia vel poenas retribuit. Hæc omnia Papiensis distinctius narrat epistola 44.

65 LIV-LV.

Obiit Pius in pervigilio assumptæ in cælum Deiparæ, cum sex annos nec integros in cathedra divi Petri s. disset. Eo defuncto id contigit quod fieri ut plurimum in rebus hujusmodi solet, nempe ut lædoris compago atque omnis belli sacri expectatio corrueret. Nihilominus Patres, post funus rite absolutum, ne rei Christianæ pro sua facultate doessent, consilio habito, tri. m. s. ecclesiasticas Venetis, aurum autem a pontifice relictum (1) Pannoniæ regi Mathw concessere, ea lege ut hic terra, illi vero mari bellum cum Turcis inchoatum viriliter gererent. Inde Romam profecti, celebratisque de more comitiis, primo statim suffragiorum concursu Petrum Barbum, cardinalem tit. S. Marcelli, elegerunt. In quo illud animadversione dignum existimo, quod, etsi Petrus plura quam lex jubet suffragia numerabat, tamen, ut unanimis consensio haberetur, uniuscujusque sententiam iterum exquiri voluere. Itaque Bessarion, qui principem in collegio locum tenebat, singulos Patrum ordine appellans, rogavit num factam probarent reciperentque electionem. Cum sibi placere omnes ad unum respondissent, ad Petrum conversus: *Patres, inquit, hi te in pontificem elegerunt, et ego omnium nominibus ego te eligo* (2). His dictis pontifex salutat et vestibus consuetis indutus, Pauli II nomen, gratulantibus cunctis, accepit.

66 LVI.

Egregiam hic pontificatus initio de se opinionem ac spem commovit: nam et belli in Turcas urgendi studio flagrare visus est, et plura mitis ingenii documenta ac munificæ liberalitatis exhibuit. Verum, assentatoribus obnoxius, una in re bonorum animos haud parum offendit conturbavitque. Placita quædam seu leges Ecclesiæ perutiles in comitiis latæ fuerant, easque collegium omne ac Paulus ipse non modo ante, sed etiam post electionem firmaverat. Cum suam his legibus auctoritatem imminui putaret, grave admodum id sibi ducere, et mox partim blanditiis, partim vi contendere cepit ut novum chirographum, quo irrita ea omnia fiebant, cardinales subscriberent. Hoc omnes pariter avversabantur, unoque ore affirmabant, sibi minime integrum esse ea pacta rescindere quæ comuni suffragio atque interposito juramento sanxissent. At Paulus adeo importune ac vehementer instabat, ut præter Joannem Carvajalem, priscæ virtutis summæque constantiæ virum, unus post alium voluntati pontificis obsequi deberet; imo intemperans adeo nimiusque in hostem, ut Nicænum nostrum e cubiculo refo-

(99) Vide Append. monum., n. 7.

(1) Pecuniæ summam in belli sacri usum a Pio II adjectam ejusque in loculis reperlant quinquaginta

duo millia aureorum fuisse Raynaldus tradit ad an. 1464 *Hist. eccles.*, tom. X, num. 52.

(2) Vide card. Papiens. Comment. lib. II.

gientem veste apprehensa retraxerit (3), et sub anathematis poena suam quoque manum apponere chirographo adegerit.

LVII.

Cæterum, quousque Paulus Ecclesiæ præfuit, suavem hunc fructum ex eo tulit Bessarion, quod a publicis curis solutus totum se Musis tradere atque otium potuit litterarum sectari. Multa quidem his annis **67** cum Græco tum Latino idiomate lucubravit, quæ omnia si velim percurrere, nimio fortasse molestior sim quam ratio postulat. Sed aliquam ut partem eorum attingam, præter varias epistolas, quarum editæ habentur nonnullæ, ac longe plures anecdotæ nondum prodire (4), quatuor insignes orationes composuit quibus Italos principes post captam a Turcis Eubœam (5) plurimasque ibi caedes patratas e somno excitare et **68** ad bellum cum hoste atrocissimo capessendum impellere conatus est. Has paræneses qui legel fateri extemplo debet, nullas ab eo partes eximit oratoris omissas, quo Barbarorum audaciam, Christianæ reipublicæ ignominiam et Italiæ periculum ob oculos poneret nisi quam primum arma ad ultimam avertendam perniciem expedirent. Frustra tamen labor omnis hic fuit, cum populi ac principes privatis cupiditatibus acti, se invicem potius lædere ac de minimis rebus conflictari vellent quam gentis laudi et securitati consulere.

LVIII.

Sed nullo opere magis inclaruit quam eo quod scripsit et Pauli II temporibus vulgavit contra Platonis calumniatorem, cujus operis ratio atque institutum ut planius innotescat, rem ab origine repetendam existimo. Georgius Gemistus, quo duce ac magistro Bessarion Platonicæ doctus evaserat, ad synodum Florentinam cum venisset e Græcia, multos doctrinæ quam præstebatur discipulus fautoresque, ac præ aliis Cosmam Medicum habuit, tunc opibus atque auctoritate

florentem. Laudis dulcedine largiorisque compendii spe ductus, ut Itala ingenia ad novum hoc studium excolendum accenderet, librum Græce conscripsit emisitque in lucem, quo Platonice philosophiam cum Aristotelica comparans, illam in cælum extulit, hanc vero multum depressit ac pene ludibrio traduxit. Permultas hic liber gravesque lites non tam inter nostros illius ævi philosophos quam inter Græcos ipsos excitavit. Præter alios **69** qui Gemisto responsum fecerunt, Theodorus Gaza, Græcorum omnium qui tum apud nos versabantur eruditissimus, Stagiritæ causam defendendam suscepit, librumque edidit quo, Platonice opiniones convellens, Aristotelis auctoritatem ac gloriam asserere studuit. Huic Nicænus, Gemisto favens, contrarium libellum opposuit hoc titulo inscriptum: *De natura et arte*. At cum ambo essent viri placidis moribus ac humanissimis præditi, nil quicquam dissentiendo scripsere quod modestæ atque amicæ disputationis fines excederet.

LIX.

Eandem hanc animi moderationem nequaquam adhibuit Michael Apostolius, qui post Græcum **70** imperium eversum patria extorris omnique fortuna exutus, in domo Nicæni unicum calamitatis perfugium invenerat. Hic, seu quadam impulsus maledicendi rabie, seu placendi fiducia, si Theodorum, Platonice dogmatibus detrahentem, validius premeret exagitaretque, acerbissimo tum illum, tum Aristotelem scripto appellere nequaquam erubuit. Andronicus Callistus, vir doctus et Nicæno æque charus ac familiaris, hac tanta indignitate commotus, apologiam pro Theodoro, sobrie tamen benigneque scriptam confecit, eamque una cum Apostolii syntagmate legendam tradidit Bessarioni, qui omnem perosus contumeliæ speciem, Michaelis audaciam ac procacitatem gravissime tulit. Itaque, ut grates egit Andronico maximas

(3) Vide card. Papiens. Comment. lib. II.

(4) In archivo Vaticano sanctiore quatuor habentur Nicæni epistolæ autographæ ad card. Papiensem, quas Cajetanus Marinus, ejusdem archivi custos ineditas putat. In Vaticana bibliotheca plurimæ tum Græcæ tum Latine servantur; multas etiam possident Veneta D. Marci et Mediceo Laurentiana. Alias præterea quæ sparsim existunt in bibliothecis nobilioribus, atque unum solummodo hic addo, ex Petri Criniti litteris ad Alexandrum Sarrthium datis ac editis inter Opera Politiani Lugduni 1527, manifesto colligi, Nicænum de Fabio Dorsenno, antiquo poeta comico, in sua quadam egisse epistola quam Theodoro Gazæ inscripserat.

(5) Chalcidis expugnationem et Eubœam a Turcis occupatam IV idus Julias 1470 ita describit Philadelphus in litteris ad Fridericum, Urbini ducem: *Modo, inquit, Itali universo mari imperitabant, erantque Barbaris longe ac late formidolosi. Ecce repente ex Hellesponto, inopinata procella tempestasque erumpit, ac velut immane ac terribile quoddam fulmen, fugato Venetorum præfecto Nicolao Canale, prudentissimo fortissimoque viro, Turcorum classis in Euripum irruit, eodemque temporis quasi puncto impius tyrannus*

Mahometus ingentibus copiis per continentem eodem advolat, et quod ex omni hominum memoria nunquam est auditum, Euripo freto, ut uno eodemque rumore apud omnes increbuit, ex inferiore parte saxorum motibus terræque vi completo atque obstructo, Eubœam continenti adjungit; ex superiore autem validissimo id ponte conjungit, quem ipsum duabus utrinque lateritiiis turribus ad ipsas Euripi fauces ita munit, ut ne universo quidem humano generi patere aditus viribus ullis quiverit. Chalcis, urbs antiqua et nobilis, et cum propugnatoribus, tum rebus omnibus munitissima, ubi mensem totum per summas difficultates obsessa, dies septem continuatos noctibus perinacissime terra marique oppugnatur, per ingentissimas tandem bombardarum moles latissimis illis editissimisque muris solo æqualis, ad IV idus Julias et ipsa ei capitur et universa Christianorum multitudo ad unum crudelissime trucidatur totum triduum. Hæc misera nostra religionis sortem! Hæc spectant perinde atque in theatriali ludæo principes Christiani, et non modo non dolent seque ad ultiscendum accingunt, sed latentius potius atque cassant, nescitisane illi, ut mihi videntur, fore ut ea ruina nobis omnibus nausfragium parat.

sumque summopere commendavit quod, humanior longe ac prudentior, nulla in remulum retorsisset convicia, ita severe ac graviter Apostolum increpuit elegantissima epistola, in qua Theodorum ait de bonis litteris adeo præclare meritum ut laudibus potius cumulari quam proscindi contumeliis debuerit; bonam causam non jurgiis ac maledictis, sed rationibus argumentisque defendi, **71** et eos qui alterius famam injuste lædunt, ad palinodiam absque ulla tergiversatione canendam teneri. Postremo addit se plane confidere Michaelē hanc monita tanquam benevolo ex animo ac paterno amore profecta acq̃ bonique factorum.

LX.

Finem hic habuisset hæc controversia, nisi Georgius Trapezuntius, in medium pro-sillens et libero nimium ac fervido ingenio abreptus, novum Platoni ejusque defensoribus bellum indicisset. Nicæni domum et hic frequentabat, illiusque indulgentiam ac patrociniū suis in rebus fuerat sæpenumero expertus. Sed cum Theodorum Gazam ob doctrinæ præstantiam **72** magno apud illum in pretio esse, suamque eruditionem ac scripta posthaberi negre ferret Georgius, sua illud studia conatusque convertit ut nullo pacto hanc tacitam injuriam inultam dimitteret. Primo igitur Græcæ epistolam edidit, cujus epigraphe: *Utrum natura consilio agat*; in qua, dum simulat sibi cum Gaza rem esse, Nicænum ipsum stylo amarulento perstrinxit, ea scribendi licentia usus quæ neminem alium, nedum hominem multis obstrictum beneficiis, deceret. Postea, hæc prima velitatio fuisset, ut suam latius evomeret bilem et præsulis animam acrius ureret, quem Platoni adjectum unico nove-rat, librum composuit Latino sermone, inscriptum: *Comparatio philosophorum Aristotelis et Platonis*. In eo, quemadmodum Stagiritam Platoni longe anteposuit, ita novum delicti genus est, nulla hominum gentiumque calamitas quam non hujus doctrinæ tribuendam assignandamque censuerit.

LXI.

Parum feliciter insana hæc temeritas auctori suo cessit: etenim Bessarion in libro quem supra indicavi tanta eloquentiæ doctrinæque vi Platonis causam defendit, ut Georgius apud eruditos quosque maligni petulantisque scriptoris notam subierit, nec minimam fecerit in reliquum vitæ tempus nominis ac dignitatis jacturam. Quinto vel sexto demum Pauli II anno apologeticum hoc opus in lucem prodii summosque doctorum hominum plausus excitavit (6), non tantum quod remuli **73** calumnias difflasset, sed quia omnigenum protulisset eruditionis

ac scientiæ sublimioris thesaurum, ut Platina (7) confirmat his verbis: *Hinc est certe quod hauriant theologi, philosophi, mathematici, oratores, dialectici et quodvis genus hominum civilium ac studiosorum. Nullam sectam philosophorum prætermittit quam non notet; quid quisque dixerit, quid probari improbarive possit, ostendit. Ut Pythagoreorum nimiam pietatem, Cynicorum rusticitatem, Stoicorum austeritatem carpit, ita Peripateticorum et veterum Academicorum mediocritatem laudat: extollit Aristotelem, Platonem principem philosophorum facit, quocum plura Christianis ostendit convenire quam cum aliquo philosophorum. Neque id quidem theologorum nostrorum auctoritate tantummodo probat, verum etiam syllogismo et rationibus, quibus adversarium ita circumagat et opprimit, ut neque quo se recipiat calumniator divi Platonis habeat, neque quid respondeat obrutus argumentis satis inveniat.*

LXII.

Elogio Platini testimonium accedat Campani (8), qui Dominico Calderino scribens, et Georgii ausum et stultitiam reprehendens, sic ait: *Ad hæc Bessario quinque libris ita respondit, ut quanquam anteposit Platonem, non minus quam ipse adversarius Aristotelem laudet. Opus est plenum modestiæ, scientiæ rerum altissimarum atque ingenii plenius. Exhaustum dicas omnem Græcorum Latinorumque auctorum suppellectilem; neque enim una est consuetudo, quia impetit argumentis, pugnat testibus, premit exemplis, vinque omnem adversarii ratione enervat, deficiit copia, varietate labefactat, modis omnibus frangit, dissipat, calcit, **74** ut non corruiſſe modo quæ sunt objecta, sed eranuisse omnino videantur. Nec censeas rem tantam unius esse conatus; omnes artes, omnium artium loci aperiuntur. Ornatu vero est tanto, ut cum aliis omnibus, tum hæc præcipua re dignus unus putetur Bessarion, qui Platonem laudatur; quippe luce quadam verborum sententiarumque majestate quidquid dicit illustrat. Sed hæc ingenii est felicitas. Quid arcana illa rerum divinarum? Nihil de mente Dei, nihil de celo mutum aut involutum dictum ab illis, quod Bessarion non, ut ita dicam, resupinaverit posueritque in aperto... Dicam aperte quod sentio, neminem alium neque Platonem potuisse defendere gravius, neque de Aristotele moderatius loqui, neque districtius et verius de utroque sentire, et Platonis atque Aristotelis disciplinam omnem contineri in his libris, nec ita contineri ut capita duntaxat subappareant rerum maximarum; res ipsæ exstant totæque aspi-ciuntur; etc.*

LXIII.

Lucubrandi stadium ita Nicænus temporibus Vaticanis eruit P. Bonav. Malvasia vulgavit in libro *De SS. XII Apost. basilica*, Romæ edito 1666.

(7) V. Platini Orat. paneg.

(8) Joan. Ant. Campanus, Epist. lib. V, ep. 36, ed. Mediol. an. 1497.

(6) Inter alios qui Nicæno de insigni hoc opere gratulati sunt, id per epistolas ferere Nicolaus Perrotus, Omnibonus Leonicensis, Naldus Naldus, Marsilius Ficinus, Antonius Panormita, Franciscus Philolophus et Joannes Argyropolus; quas omnes epistolas, una Naldiana excepta, a Leone Allatio e

rabat, ut aliquam diei partem dulcibus amicorum confabulationibus daret. Præterea litterarios conventus, a se domi jam pridem habitos institutosque, tam sedulo fovere pergebat, ut nemo tunc Romæ paulo eruditior existeret qui non illic frequentius conveniret, atque in ea se palæstra exerce-
ret unde laudem quisque colligere et litteræ poterant adhuc rudes atque impolite in pristinum nitorem cultum reverti. Interdum etiam, comitibus assumptis quos magis charos ac longa consuetudine perspectos habebat, in agros **75** vel alio extra Urbem animi relaxandi gratia comminebat. Ibi, ut vires laboribus imminutas reficeret, amoenis deambulationibus jociisque liberalioribus indulgebat, prout fors vel occasio molestiæ detergendæ risusque excitandi materiam præberet. Horum unum libentius hic profero tum quia, ni fallor, ad hæc vel proxima his tempora pertinet, tum quia nos admonet quæ ratio habenda sit hominum qui, gloriæ cupidi, præter jus fasque summis ingeniis debites præcipiunt honores, et simioli cum sint, leonis pellem gerere se posse confidunt.

LXIV.

Abbatiam S. Crucis de Ponte Avellano nuncupatam in ditione Urbinate cardinalis obtinebat, illam Nicolai V aut successoris Callisti beneficio assecutus (9). Eo loci cum versaretur, insulsum quemdam nactus est hominem Paulum de Godiis, Pergulanum, qui se omnibus disciplinis ac etiam poesi egregie instructum dictitans, ipsius manu poeticæ coronæ decus accipere flagrantissime optabat. Lepida hæc res risuque digna Nicæno visa est, ac maximo postquam, experimento facto, luteus ille doctor ac vates e trivio, non omnino modo scientiæ inops, sed mentis non plane compos apparuit. Hunc igitur nebuloni ut illuderet, honorem coronationis decrevit, et magno comitum ac famulorum numero deductus, in montem Catriam, unum e præcelsis Apennini jugis, ascendit. Ibi Paulo coram se provocato, inter plausus cachinnosque astentiu, sertum **76** arundinum foliis laurique contextum imposuit; qua cæremonia peracta ineptus ille thraso, ut hilaris multum inflatusque discessit, sic mirificos de se ludos omnibus qui suam futilem conspuebant coronam exhibuit. Hujus facti memoria etiam nunc exstat in diplomate quod ridicule ac barbaro scriptum ex

industria videtur, quodque depromptum trado (10) e codice Vaticano Urbinate n. 692.

77 LXV.

Quamvis Bessarion, quod antea ostendimus, nullam rem magis in votis haberet quam ut D. Basilii ordo per Italiam collapsus refloresceret, ejusque rei ergo cœnobîa singula in veterem studuisset monasticæ disciplinæ splendorem revocare, nihilo tamen secus ea tunc morum pravitas erat ac temporum labe, ut quidquid bonæ fragis cardinalis patronus intulerat, id totum turpis quædam consuetudo vivendique licentia corrumpere. Etenim archimandritæ, ad quos præcipue munus vigilandi spectabat, ne Græci sermonis usus ac studium deficeret, neve antiquæ regulæ præscripta obsolescerent, ipsi omnium primi cœnobiticæ austeritatis leges perfringebant, non tantum labores et curas regimini annexas refugiendo, quantum vitæ mollioris ac delicatioris **78** oblectamenta sectando, haud aliter quam laici opulentique homines facerent. Hinc proventuum clades ac dissipatio, quos in proprios usus convertere et in suos etiam consanguineos transfundere non verebantur; hinc æque monachorum ignavia atque omnis disciplinæ claustralis perversio, cum nemo hisce exemplis ante oculos positus, neque servitio rei divinæ studeret, neque scientiæ quæ viros ecclesiasticos decet, unquam intenderet.

LXVI.

Deplorandus hic status Basiliani ordinis valde Nicænum sollicitabat, qui, has regulas maculas detergere cupiens, nullam rebatur ad hoc medelam aptiorem quam si comitia generalia haberentur in quibus abusus omnes corrigendi esset locus. Eo igitur operam dante, Romæ comitia in ipso SS. XII Apostolorum templo sunt celebrata. Multum inde amissi splendoris regularis disciplina recepit, cum nihil in rebus communi sententia decretis omissum fuerit quod perverti instituto firmando renovandoque conducere. Harum constitutionum exemplum vernaculo sermone conscriptum exstat in codice 6204 bibliothecæ Vaticanæ, ejusque primum caput sive exordium, quod infra hic pono (11), duo continet **79** sphaerata quæ mirari subit Petrum Pompiliū Rodota nequaquam vidisse cum exordium hoc ipsum in opere suo retulit Romæ impresso

(9) Contigisse id arbitror anno 1455 vel 1456; nam viros clar. Mitarellium et Colladonum in *Annal. Camaldul.* tom. III, p. 241. hæc adnotasse reperio: *Post hunc annum (1454) defunctus est Petrus de Serra, abbas S. Crucis, post quem commendationem monasterii accepit Bessarion, episcopus Nicænus, S. R. E. cardinalis.*

(10) Vide Append. monum., n. 8.

(11) In nomine Dei nostri Jesu Christi. Amen. Anno 1466, nel mese di Novembre.

Capitolo generale per comandamento del nostro signore Sisto, per la divina provvidenza papa IV, celebrato in Roma, dalla religione di S. Basilio nella chiesa delli XII Apostoli, presenti due Rmi cardinali,

cioè D. Tarantino penitenziere et D. cardinale Nicæno; nel qual capitolo primamente per consentimento di tutti sono eletti nove signori abati, li quali volsero chiamare definitori di ciascheduna provincia, ali quali insieme con li pred. visitatori hanno commesso autorità di statuire, ordinare e definire tutte quelle cose, quali redranno appartener alle loro riformazioni. Li quali pred. PP. dapoi più et più volte si sono congregati nel luogo deputato e a tutte consiglio delli altri signori abati e tutti così diligentemente esaminati, e finalmente se gli ordinò in questi statuti, avere definiti on le quali buonamente comandanno osservare.

an. 1640. Unum est quod comitia hæc habita dicuntur anno 1466, jussu Sixti IV pontificis, cum palam omnibus sit Sixti electionem non antea contigisse quam vii idus Augusti 1471. Alterum, quod iis una cum Bessarione nostro præfuisse narratur cardinalis Tarantinus, summus Ecclesiæ Romanæ pœnitentiarius, qui a longo tempore, nempe ab anno 1449, e vivis excesserat. Facile tamen hæc conciliari posse videntur, si comitia prædicta vel ad annum 1466, sub Pauli II pontificatu spectare velimus, vel etiam ad annum 1471, statim post Sixti creationem qui Paulo successit. Pro cardinali autem Tarantino legendum arbitror Calendrium, episcopum Portuensem et majorem pœnitentiarium ab anno 1464 usque ad 1478, quo vivere desit.

80 LXVII.

Eodem hoc anno 1466, cum D. Eugenius sacellum ipsemet cardinalis in formam elegantiorum restitui pictorisque ornari curasset, in eo pariter tumulum quem sibi post obitum fieri voluerat, hac epigrapho insculpta construxit (12).

BESSARION EPISCOPVS TVSCVLANVS
S. R. E. CARDINALIS PATRIARCHA
CONSTANTINOPOLITANVS
NOBILI GRÆCIA ORTVS ORIVNDVSQVE
SIBI VIVENS POSVIT
ANNO SALVTIS MCCCCLXVI
ΤΟΥΤ' ΕΤΙ ΒΕΣΣΑΡΙΟΝ ΖΩΝ ΑΝΥΣΑ
ΣΩΜΑΤΙ ΣΗΜΑ
ΗΝΕΥΜΑ ΑΕ ΦΕΥΞΕΙΤΑΙ ΠΡΟΣ ΘΕΟΝ
ΑΘΑΝΑΤΟΝ (13).

80 Post hæc, liberalitate sua ductus, et Numinis cultum ut latius proferret, præter dotem sacello jam constitutam (14) optimum eidem amplumque latifundium donavit, atque alia insuper non pauca nec minimi valoris in sacros usus adiecit, quæ legi possunt in postremo descripta instrumento donationis quod iv Idus Apriles 1467 coram se confici jussit, et solita notarii publici auctoritate rogari (15). Quo autem hæc omnia in perpetuum rata atque inconcussa manerent apostolicæ constitutionis robur a Paulo II imploravit, qui ejus annuens libentissime votis, bullam aliquot post menses emisit 81 in qua universa et singula per Nicænum disposita, tum quoad ipsam donationem, tum quoad cultum sacelli et rem sacram per Minoritas conventuales in eo peragendam

(12) Hodie tabula hæc marmorea translata ac parieti affixa conspicitur in atrio quod est inter basilicam et cœnobii ædes, subterque sculpta cardinalis insignia ostendit, quæ superius septem exhibent stellas totidem scutulis inclusas, inferius autem crucem Græcam duabus manibus apprehensam.

(13) Distichon hoc eruditi plures Latino carmine reddiderunt; sed nemo melius Majorano Salentino, qui sic vertit:

*Bessarion feci hunc tumulum qui conderet ossa;
Venerat unde olim spiritus astra petit.*

(14) Dos a Bessarione D. Eugenius sacello primum constituta ad hoc ut presbyter secularis ibi sacrum

inviolabiter atque omni cum fide servari mandavit (16).

LXVII.

Huc usque cardinalis Ecclesiæ Tusculanæ regimen ad quam e diocesi Sabinensi fuerat translatus, retinuit. Verum his temporibus, hoc est anno 1468, e Tusculano iterum Sabinorum episcopus evasit. Quæ fuerit causa ob quam nova hæc accidit translatio, seu potius regressio ad veteres insulas, omnino latet. Illud solummodo notatu est dignum, quod multæ hinc ambages ac lapsus eruditorum manarunt, dum nemini prorsus hæc altera diocesium earundem permutatio venit in mentem. Primus hanc rem prælaudatus Schioppaluba (17) suspicari coepit, tum quia Bessarion episcopum Sabinensem se vocat in epigrapha quam sacro donario apposuit Venetias misso sub initium anni 1472, tum quia hic titulus legitur in pluribus miss. codicibus ac etiam libris impressis ab anno 1469 ad annum 1471. Quamobrem, sedula perquisitione facta, nodum denique hunc solvit caliginemque omnem disensit opus clar. præsulis Josephi Garampi; is enim in lib. LXXXI *Obligat. camerat.*, p. 50, ad an. 1468, hæc notata invenit: *Die 29 Octob. ven. vir D. Johannes de Heesboem, canonicus S. Severini* 82 *Coloniensis, reverendiss. D. Bessarionis, episcopi Sabinensis, secretarius et familiaris, obtulit cameræ apostolicæ pro communi servitio dictæ ecclesiæ ratione translationis de persona sua de Ecclesia Tusculana ad dictam Ecclesiam Sabinensem auctoritate apostolica, sub datum Romæ apud S. Marcum pridie id. Octobr. anno v, florenot auri de camera....* Ex quo testimonio satis superque iquet Claeconium, Ughellium, Boernerum cunctosque alios esse corrigendos scriptores qui Nicænum putarunt ad exitum usque vitæ Ecclesiam Tusculanam rexisse.

LXIX.

A tenera ætate librorum exarserat studio incredibili sibi que multos, ut ipse ait in epistola ad Christophorum Maum, Venetæ reip. ducem, partim exscribendo, partim, si quos unquam nummos haberet, coemendo paraverat. Verum hæc ipsi tam chara diuque cumulata supellex tunc longe crevit cum, honoribus atque opibus auctus, Romæ sedem locavit. Potissimum vero id accidit cum Byzantia expugnata, res civium omnes ad

quotidie faceret, vinea fuit prope ecclesiam S. Cæsarii sita, quam propria pecunia acquisierat. At hoc anno ei latifundium longe fructuosius adiecit quod, vulgo nuncupatum *Cecchignola nova*, extra portam Capenam possidebat emeratque ab hæredibus Pauli ac Thomæ Casate de Fuscis. Voluit autem ut Minoritæ conventuales tanquam sacellani perpetui ab eo declarati hos fundos administrarent fructusque perciperent, quandiu ipsorum ordo basilicam SS. XII Apostolorum retineret.

(15) Vide Append. monum., n. 9.

(16) Vide *ibid.*, n. 10.

(17) *Dissert. in perantiquam sacram tabulam Græcam, etc.*, Venetiis 1767.

libri quoque in militis direptionem ac prædam concessere. Complura eo tempore, Græcorum præsertim scriptorum volumina congegit, multosque alios ejusdem generis libros, cum nullis expensis parceret, sibi describi amanuensium opera curavit, quorum nomina, ut moris tunc fuit, ad calcem notata Jacobus Morellius in Dissertatione super Venetam D. Marci bibliothecam recenset (18). **83** Præcipuus hic amor undique colligendi quicquid proficuum bonis litteris ac scientiis rebar, si Platinæ credimus in sermone panegyrico, ipsi nil minus stetit quam triginta aureorum milibus, obtinuitque ea re ut nulla tunc temporis Italia tota librorum collectio haberetur quæ suæ vel numero vel præstantia anteiret.

LXX.

Din suspensus animique anceps fuit utrum eximiam hunc thesaurum Florentiæ mox, vel Romæ, an Venetiis potius asservandum relinqueret. Tandem, sive amicitiae gratus atque honor quo se Venetus senatus inter patricios adlegerat, sive perpendens, quod ipse tradit in præfata ad Maurum ducem epistola, nullum Græcis e patria extorribus qui operam litteris navare superent, aptiorem locum, aut magis obvium, quam Venetam urbem inveniri posse, D. Marco, ut antea fecerat Franciscus Petrarcha, bibliothecam suam perpetuo custodiendam largiri constituit. Itaque, habito primum indulto pontificio, memoratam epistolam ad Maurum ducem e Balneis Viterbiensibus, ubi tunc degebat, prius Kal. Junias 1468 conscripsit. Hæc ejus deliberatio **84** ut mire placuit senatui ac duci, ita litteris honorificentissime scriptis multas ei grates retulerunt.

LXXI.

Integrum fere post annum, hoc est, mense Aprili 1469, hanc Nicæni bibliothecam Venetias deportatam et in ducali palatio repositam fuisse constat (19). Primus, ut fertur, illius curam præfecti titulo gessit M. Antonius Sabellicus, vir magni nominis ac doctrinæ; non antea tamen publico eruditorum usui patuit sedemque obtinuit propriam quam circa annum 1553, in quo splendidum elegansque ædificium, ubi nunc diligentissime custoditur, senatus decreto constructum fuit. Hinc factum haud temere quis assayeret, ut retroactis temporibus non levis momenti dampnum sit passa sive custodum fraude sive oscitantia, qui veteres libros

consulendos aut etiam describendos alienis manibus passim committere non dubitabant (20). Certum enim est quod **85** volumina aliquot insignia, olim a variis memorata scriptoribus, ibi nunc desunt (21). Immo si fides antiquo debet catalogo haberi, quem Cæsarea servat bibliotheca Vindobonensis, ex eo patet, codices a Bessarione donatos longe plures initio exstitisse quam ii sunt quos Index novissime confectus recenset (22). His mihi liceat hæc superaddere quæ penes Ptolemæum Flavianum Anconitanum in *Sylloge cons.*, cap. 18, adnotavi: *Ostendit* (sic ille de Juvenalis Sermonem habens) *mihi olim Theophilus Caballinus, Sentinas, codicem qui fuit Bessarionis.*

LXXII.

Sub finem anni 1468, Fridericus III imperator voti solvendi causa Romam venit. Huic tanto hospiti ut debitos præberet honores Paulus pontifex, quatuor primum episcopos designavit qui longius progressi Cæsarem adventantem exciperent. Duobus præterea cardinalibus, nempe Rothomagensi ac Francisco Piccolomineo S. Eustachii diacono, negotium dedit ut bidui viam decenti cum pompa dimensi, idem et ipsi præstarent officium. Milvium pontem imperator aditurus cum esset, obviam habuit primo Urbis præfectum cum populi conservatoribus **86** capitibusque regionum; mox curiæ Romanæ præsules omnes cum tota pontificis aula, belli ducebus atque toparchis, qui longo agmine ac splendido ornatu ad portam Flaminiam in equis præcessere, quemadmodum narrat Papiensis (23). Ante portam sacer cardinalium senatus astabat, pro quo Bessarion, ut pote antiquior, principem Christianæ reipublicæ summum ornatissimis verbis allocutus est. Cætera quæ ad ingressum hunc pertinent apud Papiensem et Augustinum Patricium in litteris ad Joannem Manellum Cremanum scriptis, quas e bibliotheca Vallicellana erutas in tomo I *Musei Italici* p. 265 Mabillonius edidit, fuse satis ac luculenter exposita videri possunt.

LXXIII.

Licet Nicænus, præter cæteras quibus excelluit dotes, ea foret indole ingenii atque animi magnitudine, ut gloriam omnem in benefactis, non alienis in laudibus poneret, haud tamen defuere qui præclaras illius **87** virtutes, etiam dum viveret, scriptis extollere atque hominum tradere memoriæ sata-

(18) Græci calligraphi quorum opera in describendis codicibus cardinalis usus fuit, plerumque viri cogniti erant eruditione ac litteris, ut Joannes Argyropolus, Michael Apostollus, Demetrius Sguro- pulus, Joannes Plusiadenus, Cosmas monachus. Georgius Zangaropolus et Joannes Rhosus, de quo supra mentionem feci.

(19) Vide Flam. Corn. *Eccles. Venet.*, Supplem., p. 416.

(20) Ex nonnullis Ang. Politiani litteris apparet Laurentium Medicum pluries a senatu impetrasse D. Marci codices cum Florentiæ, tum Venetiis describendos. In ea quæ Laurentio Veneto data fuit

an. 1486, sic ait: *Libellos tuos atque item quos ex bibliotheca ista codices habemus, remitemus cum primum istinc orator noster Florentinus se contulerit. Pausaniam vero exspectamus cum tibi erit commodum.*

(21) Vide Jac. Morellii Dissert. super D. Marci biblioth., editam Venetiis an. 1774.

(22) Catalogus Vindobonensis 980 Græcos Latinosque codices exhibet; 854 dumtaxat is quem Zangarorius et Bongiovannus in lucem protulere an. 1740 et 1741.

(23) Comment. lib. vii.

gerent. Cumulate id præstitit episcopus Aleriensis (24) in ea Præfatione qua typis exensis in domo Petri de Maximis Apuleium et Aleinorum anno 1469 in publicum rei literariæ commodum ac emolumentum emisit (25). Idem fecit et alius quidam anonymus cujus elogium, his ferme temporibus scriptum et e codice Vaticano 3621 desumptum inter Appendicis monumenta communico (sub num. 11). Novissime Platina sermonem panegyricum, de quo pluries occurrit mentio, composuisse videtur; in eo siquidem apologeticum opus quod Nicænus Platonis doctrinam ac dignitatem vindicaturus elucubravit, nec antea, ut arbitror, prolo subjecti quam anno vertente 1470, jam plane absolutum atque ubique vulgatum sic inquitens ostendit: *Non est passus quempiam bene de genere humano meritum maledicentia post mortem lacerari; unde acerrime in calumniatorem Platonis insurgit eo volumine, et quidem divino, quod nuper magna cum vestra expectatione edidit.*

88 LXXIV.

Oriente toto subacto, atque etiam Illyrico occupato, Turcarum potentia eo usque creverat, ut ipsi Germaniæ arma ostentando terrorem incuteret. Hanc postem ut averteret Cæsar, principum auxilia postulanda decrevit, simulque pontificem rogavit ut aliquem e sacro collegio illuc mitteret qui Ratisponensi conventui præesset, ac ea proponeret quæ ad salutem facerent Christianæ gentis in tuto collocandam. Ad hoc muneris Paulus cardinalem Senensem Franciscum Piccolominum elegit, cujus prudentia supra relatam fulgebat, quemque Germanis ex eo gratum acceptumque sperabat quod penitus eorum linguam ac mores cognosceret. Hic reliquos inter egregios viros quos ea in legatione comites habuit familiaresque, Joan. Antonium Campanum, episcopum Interamniensem elegit, ut ejus insigni dexteritate ac facultate oratoria uti posset in iis quæ confici et a principum conventu impetrari oportebat. Dein, paratis omnibus ad professionem necessariis, xv Kal. April 1471 Urbem reliquit et in Germaniam quam maximis potuit itineribus properavit.

LXXV.

Nihil inexpertum legatus omisit quo Imperii ordines in unum collectos expergefaceret, eisque tum damna Christiani populi, tum gloriam futuram proponeret, si tandem armis alacriter sumptis in hostem infensissimum irent ejusque ferociam in dies magis tumescentem comprimerent. Sed lente negotium procedebat, partim ob Cæsaris naturam nihil quicquam agere nisi remissius

(24) Joan. Andreas de Boxis, Viglebanensis, alio-
torem habuit et præceptorem Victorinum Feltrensem, a quo moribus et literis egregie imbutus, Romam venit, ubi emendandis atque edendis antiquis auctoribus doctorum æstimationem et simul gratiam pontificum sibi promeruit. A Paulo II, cui aliquot editiones inscripserat, Aleriensis primum, post Aleriensis episcopus creatus, sub Sixto IV se-

consueti, partim quia principes multa statim polliciti fuerant, quæ postea negata aut saltem dilata esse cuperent; adeo verum est homines serio nunquam nisi proprio ac presente periculo commoveri. Hujus rei peritæsus Campanus, ac insuper cæli asperitatem et gentis mores perosus, quos truculentos vocat, atque omnis expertes humanitatis, Romam cum scriberet, ab amicis petebat ut honestum sibi redditum in amoenissimas Italianas oras quacunque possent ratione impetrarent. Id autem assequi per Nicænum præsertim sperabat, cujus quanta tunc esset in aula pontificia nominis dignitas et gratia, ex binis ejusdem Campani epistolis, quas hic inserere consultum duxi, unusquisque facile intelliget.

89 LXXVI.

Prima, quæ libri vi nona ac decima est, ad virum insignem pertinet Domitium Calderinum, qui Romæ docondi munere jam pridem clarus, nec multo antea in cardinalis domum traductus, ei operam in scribendis epistolis dabat.

« Campanus Domitio S.

« Quid tu de me, quo in loco sim, curas?
« Ego ex numine nostro totus quantus sum
« pendeo, nec est mihi numen in terris aliud
« quam Bessario; nam cæteris quidquid
« exhibetur observantiam, ex fortuna est,
« huic autem ex magnitudine incredibili meritum,
« quæ in eo sunt tanta ut enarrari
« de cæteris sine adulatione aperta non possint,
« referri de illo sine detractatione aliqua
« nequeant; nihil enim tam amplum de magno
« Bessarione dici potest quod non longe
« divinis ejus meritis superetur. Redde eum
« tu mihi quoque nunc beneficium qui hactenus
« propitium liberalemque reddidisti.
« Ego multorum quidem, sed nullius æque
« ac magni Bessarionis beneficium exspecto.
« Habet hoc quidquid ille hominibus præstat,
« ut non modo utilitatem accipienti,
« sed eximiam quoque gloriam afferat. Quæ
« mobrem, etsi jucundum mihi erit quoque
« modo redire in Italiam, multo tamen erit
« jucundissimum magni 90 Bessarionis
« opera reductum videri. Jamque tuæ sint
« partes; quid ex tanta benevolentia expectam
« iam optime intellexisti. Sunt munera publica
« Romæ; sunt provincie, sunt arces,
« sunt annua præsidia. Si impetrare mihi
« maxima non poteris, poteris mediocria,
« quanquam, propitio numine nostro, nec
« maxima quidem despero. Vale. »

LXXVII.

Alterâ, quæ libri ejusdem nona est ac vicesima, Nicænum ipsum Campanus rogat ut

cretarii munus gessit et bibliothecæ insuper præfectus fuit. Obiit Romæ pridie non. Febr. 1475.

(25) Aleinor *Epitomen disciplinarum Platonis* ipsa Nicænus e Græco transulit et Nicolao cardinali Casano inscripsit honorifica epistola quam editus episcopus ejusdem Aleinor opusculo præmisit; de hac Nicæni versione nihil Boetius refert in suo catalogo.

optatum in Urbem reditum aliquo sibi cum honore atque emolumento conficiat.

« Campanus magno Bessarioni card. patriarchæ Nicæno S.

« Ad illam incredibilem ac divinam magnitudinem laudum tuarum hæc quoque
« accedit quod neminem eorum quos vel
« semel fueris amplexus in abjecto esse patris,
« gloriamque eximiam censes communicare fortunam, et tantum præstare
« hominibus auxilii quantum es assecutus, conferreque aliis ingenta beneficentia
« quidquid virtute tua divina atque eminentissima peperisti, dignis profecto in
« quem tot fuerint divinitus cumulata ornamenta, qui ornare cæteros nunquam desieris. Et cum sis ipse muneribus iis quæ
« parare quisquam virtute atque industria possit, mortalium omnium maximus, in
« eo tuam magnitudinem repositam arbitris ut maxime prosis cæteris. Quæ spes si
« communis est omnibus, quid ipse mihi de te persuadeam facile intelligis, quem
« mihi vel fortuna mea vel incredibilis humanitas tua potius conciliavit. Quid autem
« nunc expetam? Unum est præcipuum et solum. Cupio tua opera in Italiam revocari, sed eo modo ut accitus ad locum
« aliquem dignitatis, non tanquam reductus ab exilio videar. Id mihi præstare solus et pro magnitudine tua potes et pro natura debes. Quamobrem oro te per numen
« illud **91** genii tui, quod ideo te protulit ut esses in quem unum ornamenta omnia
« quæ universi capere mortales possunt, cumularentur, tua ut opera quamprimum
« in Italiam revocer, accepturus quæcumque mihi obligerint in reliquam vitam,
« fortunas et beneficia tua. Vale. »

LXXVIII.

Hæc inter inopinata mors Paulum, ætate ac viribus adhuc florentem abstulit, cum nondum septimum pontificatus annum expleisset. Funebris pompa de more peracta, Patribusque inter se consultantibus cuiusnam potissimum Ecclesiæ regendæ curam committerent, parum absuit quin paucas intra horas Nicænum omnes uno ore pontificem renuntiarent. At morum sanctitas animique constantia, qua Latinum cardinalem de Ursinis, nonnulla sibi suisque flagitantem commoda, repulit, hac etiam vice rem totam turbavit, alioque transtulit illorum animos qui Ursino adhærebant. Hæc mihi causa magis probatur quam Jovii narratio qui ait, venisse ad illum, cum abditos in cubiculo foret, tres magnæ auctoritatis cardinales ut omnium nomine pontificem salutarerent; verum a Perotto cohibitos repulsosque fuisse, qui dixerit parcedum Nicæno tunc lucubranti; ex quo factum ut retro abeuntes hæc verba non sine stomacho atque indignatione protulerint: *Ergo nec prensanti, nec roganti quidem summa dignitas erit inculcanda, ut cum e cælo suffragia expectet, superbis demum ac stolidis janitoribus pareamus.* At bona Jovii pace, quis unquam credat, Perottum, solertis iudicii virum

diuque artibus aulæ innutritum, aut ea nescisse quæ tum agitabantur, aut minime saltem cavisse ne, spe adhuc integra, superbiam notam patrono atque odium conflaret?

92 LXXIX.

Ita Bessarion, siue fortunæ injuria, siue hominum culpa, qui tantum ei decus invidere, supremum amisit præsulatus fastigium, quod ipsæ trans Alpes positæ gentes ejus deberi virtutibus prædicabant. De qua re operæ pretium est Campanum rursus audire in ea quam scripsit ad Calderinum præfatum epistola, simul ac rumor de Pauli obitu inter Germanos percrebuit.

« Campanus Domitio, secret. Bessarionis, salutem.

« Censes ausum me quidquam scribere a divo nostro? Non sum ausus; tanta illius majestas, tanta mea observantia est, ut etiam in Germania agentem me terreat. Et plane nihil habeo quod scribam; omnia illi per legatum significantur. Ingerere me tantis rebus, tam arcanis, nec pulchrum nec tutum est. O utinam! o utinam! Sed, mi Domiti, operæ pretium erit videre quam curæ superis simus Christiani. Salva res est si Bessarionem, ut est omnibus in rebus quas capere ingenium humanum possit, longe maximus, ita et titulo quoque maximum faciemus; alioquin dubio vento inter fluctus navigamus. Tu vero te erige. Utinam adessem! Quid, inquires. Clamarem, insurgerem, vociferarem, ne se perderent, ne religionem unico quod superest præsidio fraudarent. Illum Græci, illum Latini, illum Pannonia, illum voce una tota Germania postulat. Quia lætitia affectum me censes cum nudius tertius clarus vir Narcisus, orator regis Ferdinandi apud Cæsarem, inter orandum quater Bessarionem nominaret tanta cum laude quantam aut nullus mortalium aut solus Bessarion meretur. Tu de Gallis ne cogita. Vale, et si quid curare absenti bonoris aut commodi potes, ne negliges. »

93 LXX.

Paulo II cardinalis Franciscus Roboreus, natione Ligur, sub nomine Sixti IV successit. Minoritarum familiæ nomen hic dederat a primis adolescentiæ temporibus, eique Nicænus ob ingenii laudem adeo impense faverat, ut eo aditente non ordinis modo totius præfecturam, sed etiam cardinalatus honorem mox esset adeptus. Sed beneficia hæc magna, ut plerumque usuvenit, levis una offensioncula delevit, post quam illum Sixtus haud æque sibi primum ac facilem in electionis negotio intellexit. Itaque sub ipsa regni primordia cum declarasset nihil suis votis jam reliquum esse quam bello Turcas asperissimo persequi, omnemque in re tam præclara suam operam ac studium obtulisset Bessarion, ut virum summum sibi que jam gravem longius ab aula removeret, ei percupide ac statim Gallicam legationem commisit. Oneris immensi hæc moles nedum

homini seni ac morbo vesicæ laboranti, sed juveni alacri vigentique, committenda videbatur, cum præter cæteras difficultates regis animus Burgundiæ duci summopere infensus ita deliniri oporteret, ut ambo, depositis armis oblitteratisque injuriis ultro citroque illatis, in sacram belli societatem concurrerent. Quibus mature perpensis, cardinalis hujusmodi manus refugere ac tanquam humeris suis majus a se cœpit in publico consistorio deprecari. Verum pontifex adeo firmus in proposito mansit ut invitus legationem suscipere debuerit.

LXXXI.

Vere igitur ineunte anni 1472, in viam se dedit rectaque in Belgium contendit, cum Burgundo colloquium **94** de pace habiturus (26); rebatur enim Galliæ regem æquas facilius aures concordæ daturum si ducem prius audisset pontifici obsequentem pacis consilia non respuere. At valde hæc illam opinio fefellit. Nam Ludovicus XI, suspicax, et aliter prorsus hoc factum interpretatus, nec ullo coluit legatum ad se venientem officio consueto, nec alloquendi cupidum nisi duos post menses admisit. Tunc etiam, eo impensius orante, ut suam vellet in gratiam Burgundiæ ducem recipere et rem Christianam, in summo positam discrimine tueri, paucis respondit, nullam habendum de pace sermonem nisi ipse prius Burgundiæ et Armoricæ duces anathemate feriret, eosque sibi, ut regni feudatarios, obtemperare compelleret. Ille legatus cum detrectaret, et hanc rem diceret suæ potestatis nequaquam esse, colloquio abrupto atque omni spere conciliatiouis negata, dimissus est. Quæ omnia strictim Papiensis epist. 500 his verbis expressit: *Mox ut regnum ingressus est, ipsi regi cœpit esse suspectus; progredi ad eum est vetitus menses duos: ludibrio habitus, tertio tandem admittitur; uno atque eodem ingrato colloquio finitur legatio.* Sunt qui scribant Ludovicum regem, ubi Nicænus in conspectum venit, ejus barba contumeliose apprehensa versiculum hunc protulisse: *Barbara Græca genus retinent quod habere solebant.* (a). Sed hæc tanto principe indigna viri cordati plerique inter cæteras vulgi fabellas reponunt.

95 LXXXII.

Mœrore affectus ingenti quod tam indecore habitus dimissusque a rege fuisset, in Italiam regredi quam celerrimo statuit. Eo in itinere febris correptus ac dysenteria, cum Alpes superasset et Augustam venisset Taurinorum, ita ægrotare cœpit, ut, omnis vocationis impatiens, Pado flumine Ravennam usque deferri debuerit. Ravennæ decubans in domo Antonii Danduli, qui pro Venetis urbem illam regebat, Ecclesiæ sacramenta suscepit, et morbi tandem ve-

hementia oppressus xiv kal. Decembr. 1472 ad vitæ cœlestis præmia migravit, cum annum ageret ætatis septimum et septuagesimum. Magnum bonis doctisque omnibus sui desiderium reliquit, ac præsertim Venetis patriciis, qui, *partim privato officio, partim publico ad eum venerant, quippe videntes irruentem turbam suis humeris elatum corpus in episcopium detulerunt, præbueruntque omnibus deosculandum atque venerandum, ut ait funebis orationis auctor Nicolaus Capranica, episcopus Firmanus (28).* Defuncti cadavere Romam delato, Sixtus pontifex, post solennes exsequias in basilica SS. XII Apostolorum celebratas, quibus ipso interfuit, illud in tumulo quem sibi vivens Nicænus paraverat, recondi jussit, quemadmodum Phrantza testatur, atque anonymus scriptor ejus verba hic trado ex codice Vaticano 3920: *Ravennæ obiit Nicænus xiv kal. Decembr. anno Christi 1472, luna eclipsim patiente. Corpus delatum est Romam sepultumque in ecclesia Apostolorum sepulchro marmoreo quod ipse sibi vivens posuerat. Exsequiis ejus Sixtus papa IV interfuit, exemplo Eugenii IV, qui Senis interfuit exsequiis Nicolai Alberghi, Bononiensis, S. Crucis in Jerusalem presb. cardinalis.*

96 LXXXIII.

Tanti præsulis obitum complures viri eruditi carminibus dessevere, quæ tam apud Jovium tum apud Ciacconium videri possunt. Nonnulli etiam ejusmodi epicedia emss. deprompta bibliothecæ Medicæ-Laurentianæ leguntur in tom. II catalogi cod. Lat. Unum proferam, Theodori nomine inscriptum, sed parum adeo eleganter sciteque compositum, ut cuius potius quam celebri Theodoro Gazæ tribuendum existimem.

*Nicænus sacro Romano cardine præsul
Bessarion summa religione pater,
Pontus quem genuit, coluit Saturnia tellus,
Eximium Graiis Ausoniisque decus,
Conditur hoc tumulo, sed magno claret in*

[orbe

*Artibus, eloquio, moribus, ingenio.
Usque extinctum quem gentes flevit, bed-*

[tus.

*Re gesta, sedis consilioque manet
Huic corpus perit, sed nunquam fuma pe-*

[ribit

*Dum rapidus volvet sidera clara polus.
Reddite, Graj, reddite patri thura Latini,
Virtus quem fecit divum udire domos.*

His addendi qui pedestri sermone defuncti, res gestas memoriæ tradiderunt, inter quos Michael Apostolius Græcam orationem a Leone Allatio Latine redditam, et Anonymus alius Vitam Græca itidem lingua conscripsit, quam penes cardinalem S. Susannæ existit 1754, p. 276.

(28) Orationem hanc e Vaticana bibliotheca eruit typisque dedit P. Malvasia in *Comp. hist. basil. SS. XII Apost.*

(26) Haec occasione fortassis bibliothecæ collegii theologorum Lovanensium libros nonnullos, quorum hic mentio apud Coterum, not. ad Struvii *Introduc. in notit. rei litter.* 8^o Francofurti et Lipsiæ

(a) Invenire rex volebat, ut erat ingenti mordacissimi, quod, barbarorum Græcorum nominum exemplo, quæ idem apud Latinos quod apud Græcos genus retinerent, pariter ipse, homo Græcus, Græcam fidem, lubricam suspectamque haberet; ejus proinde dicta ac promissa flocci penderet. Eorr.

tisse olim ferunt (29). Præterea Nicolaus Perottus, Sipontinus antistes, amplum ipse de Nicæni gestis ac moribus commentarium 97 elucubravit (30), quod in primis dolendum est vel penitus intercidisse vel aliquo in angulo ignotum delitescere. Quæ unica superest Bessarionis Vita, per coævum auctorem Vespasianum Florentinum (31) Italico scripta; eam licet mendosam nec stylo satis eleganti confectam, mei tamen muneris esse putavi ut e codice Vaticano 322⁴ eam inter anecdota monumenta referrem (32).

LXXXIV.

Sed nemo uberius et gravius Nicæni interitum Ecclesiæque Romanæ jacturam deploravit quam cardinalis Papiensis, in litteris post mortis nuntium acceptum datis ad Campanum, utriusque amicam ac familiarem (33). En illius verba:

« Vocate, Campane frater, ad lamenta et
« lacrymas. Mortuus Nicænus noster est, vir
« sine controversia magnus, cujus doctrina
« ingens erat, ingenium singulare, admira-
« bilis eloquentia, studium autem ad pu-
« blica non modo continuum, sed supra æta-
« tis ac valetudinis vires, forte 98 etiam
« pertinax. Nihil habuit Romana sedes quo
« gloriari amplius posset, nihil quod ad
« suum ministerium efficacius inveniret.
« Videbat prudenter, explicite monstrabat,
« sine intermissione operabatur, alienæ etiam
« segnitiei reprehensor semper erat ac ca-
« stigatior. Ad hunc referebantur nostra con-
« silia, ad hunc legationes undecunque nos
« adeuntos. Sine Nicæno nec operum initia
« erant, nec exitus; tota operum moles hu-
« jus unius humeris insistebat. Omitto amo-
« rem in nos, qui major esse non poterat,
« officia in ceteros, quæ plura prope ab
« uno illo proficiscebantur quam a reliquis
« Patribus. Religionem quoque, pietatem,
« munificentiam, animi magnitudinem, qui
« nil humile, nil quod non dignitati con-
« junctum esset poterat cogitare. Flendus
« tantæ jacturæ obitus est, flendæ vices Ec-
« clesiæ, flenda etiam bonorum omnium
« orbatus; mihi quidem accidere nihil dolen-
« tius potuit. » — Et paucis interjectis:
« Sanctus senex, ob falsam de fide sua sus-
« picionem, videus incassum esse labores

« susceptos, relictam in armis provinciam,
« perditam spem magnorum pro religione
« subsidiorum, supra urgentem valetudinem
« etiam animo consternatos, Ravennæ quo
« a Taurino devecus Pado erat, spiritum
« Domino reddidit, tanta, quod exploratum
« mihi est, constantia, ut sanctissimæ vitæ
« sanctissimus quoque inventus sit exitus.
« Quibus ergo aut laudibus prosequemur
« magni meriti Patrem, aut monuimentis
« ornabimus pro republica mortem susce-
« ptam, aut doloribus requiremus nostri or-
« dinis lumen extinctum? Conatus quidem
« nostri, et decreta, et litteræ quoque mi-
« nora sunt meritis. Ut virtute anteivit
« quidquid in Ecclesia præclarum fuit, sic
« ad referendas defuncto gratias impar est
« omne quod quæritur. Benedicamus tan-
« tum nomini ejus commemorationibus quo-
« tidianis, recenseamus sanctas actiones
« ejus et in opera senis tanquam in exem-
« plum sacerdotale inspiciamus; lugeamus
« autem ad singula et damna ingentia de-
« ploremus. Sæculis quidem multis alterum
« Nicænum habituri non sumus; tum autem
« noster ordo in tenebris relictus est. Luce
« sua illuminabat obscura, et multorum in-
« scitiam unius sapientia tolerabat. »

99 LXXXV.

Quoad corporis habitum et oris lineamenta Nicæni dum viveret, ex Campani epigrammate quod sum infra daturus, discimus, Bessarionem procera statura fuisse aspectuque decoro et cunctis in rebus ad gravitatem composito. Quandiu Romæ permansit, ad collis Quirinalis radices habitavit, easque ipsas incoluit ædes quæ ad dextrum sunt latus basilicæ SS. XII Apostolorum et nunc cœnobii recentioris frontem constituunt, in quo degunt Minoritæ conventuales; nam licet hodie (1777) earum facies aliqua ex parte immolata nonnullisque aucta ornamentis apparent, multa tamen adhuc atque indubia retinent antiquitatis vestigia. Id quamvis liquido constet ex documento 9 ad calcem hujus dissertationis posito, magis tamen ac magis eo comprobant quæ hic refero alio ex instrumento emptionis per eum factæ anno 1458 (34).

Casate de Fuscis, nob. Romani, certam latissimam partem extra portam Capenam siti. Instrumenti initium hoc est: *In nomine Domini. Amen. Anno Domini 1458, pontif. SSmi in Christo Patris Dni N. D. Pii, divina providentia papæ II, indict. vii, mens. Sept. die 17. In præsentia mei notarii et testium infra scriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, constituta personaliter coram sapienti viro D. Gilfredo de Caballis de Ferraria, legum doctore, iudice palatino et collaterali curiæ Capitolii, et magnif. viri D. Joannis de Leone de Padua, legum doctoris et militis, Dei gratia almæ urbis præsentis senatoris, sedentis pro tribunali in quamvis capsa lignea in anticamera sive capella infrascripti Rmi D. episcopi et card. in palatio SS. Apost., quem locum ob reverentiam infrascripti Rmi Dni, et honestatem infrascriptæ Dnæ venditricis, pro suo tribunali ante omnia elegit et deputavit, nobis Dna Genepra, relicta q. nob. viri Thomæ de Casatis de*

(29) Vide Ciacconium, tom. II, col. 900.

(30) Vid. Cornucop. *Linguae Lat.* edit. Ald. 1513, p. 905.

(31) Vespasianus Florentinus bibliopolæ artem exercuit, sed cum eruditior esset ac penitus libros cognoscere, notus apprimo charusque existit non modo litteratis hujus ævi hominibus, sed etiam principibus viris, ac præsertim Nicolao V pontifici, Borso Estensi, Ferrariæ duci, ac Cosmæ Mediceo seniori. Nulla alia, quod sciam ingenii monumenta reliquit præter aliquot virorum illustrium Vitas vernaculo sermone scriptas. Fr. Zacharia duos codices ab eo donatos biblioth. Florent. S. Marci commemorat in suo *Itin. lit. per Italiam*, p. 47.

(32) Vide Append. monum., n. 12.

(33) Epist. 498.

(34) Exstat hujus instrumenti apographum in archivo Basilicæ SS. XII Apost. In eo Bessarion emit pretio sexcent. auri floren. ab hæredibus q. Thomæ

100 LXXXVI.

Multa de virtutibus commentanda nunc essent, quibus antistes hic magnus eluxit, tantumque sibi nominis et gloriæ comparavit, nisi quæ de perpetuo vitæ ejus cursu tradidi supervacaneam hanc operam facerent. Haud abs re nihilominus erit, si pauca quædam coronidis loco subjungam quæ præcipuum ipsius amorem et liberalitatem erga homines doctrina præditos atque ingenio declarant. Ut Græcos præteream, quos profugos et a communi patriæ naufragio in Italiam delatos, patrociniis, officiis atque opibus fovit, quid nostris ipsis hominibus non præstitit aut quem obvis ulvis non est complexus, cui vel aliqua virtutis opinio vel scientiæ laus adesset? Bononiam legatus cum regeret, et Aristoteles Floravantius, architectus eo tempore insignis, miro artificio atque audacia turrim quæ vulgo *Mansionis* dicitur, a fundamentis divulsam alio transtulisset, illum proprio aëre, hoc est 50 librarum, summa minime tunc contemnenda, donavit (35). Ipsemet Platina, qui tanquam iustus in Paulum II. conjurationis conscius ac particeps in carcerem detrusus languebat, non prius a vinculis expedire se potuit quam suas Nicomus interponeret preces, ac pro eo tandem sponsorem se faceret. Vide Platina Vitam ejus operi *De vitis Rom. pont.* præmissam. Eruditissimus Joan. Christ. Amadulius Platina epistolam qua, vinculis astrictus cum esset, Bessarionis opem imploravit e codice chartæ. sæc. xv, qui se penes est, adhuc ineditam mecum perhonnigne communicavit. **101** Nam, quia illis viri calamitatem et calamitatis causas uberius aperit, dignam plane censeo quæ hic locum habeat. « Si tuo fidelissimo consilio

« obtemperassem, Rme ac doctissime Pater,

« non essem, sat scio, tanta calamitate circumventus; me enim adhortabaris, si discedere ab Urbe instituissam, proposito

« non contemnendo premio, ut clarissimil

« atque optimi principis Urbinatum comitis obsequio me addicerem. Non contempsi ego tantam conditionem et a tanto viro

« mihi propositam, cui certe, tua præsertim

« gratia, mallet, posthabita omni mercede,

« servire quam cuivis Italicorum principum.

« Neminem profecto adhuc novi, pace aliorum loquar, qui nobilitate animi, eruditione, humanitate, rei militaris scientia,

« justitia, comitate possit cum hoc principe comparari. Quare sit ut meam vicem mirum in modum doleam, quod oblatam occasionem non mediocris fortunæ parum

« sapienter omiserim. Sed quis arbitratus fuisset unius Callimachi ebrietatem et

« stultitiam, quem contemnebamus, quem pro ludibrio habebamus, tantam nobis et tam indignam calamitatem, non dico struere,

Fuscis de regione S. Angeli, mater, tutrix, et persona legitima Catherine et Mariannæ fil. et hæred. q. Thomæ Casate de Fuscis, etc.

(35) Aristoteles hic idem et aliam in oppido Centurrim quæ iultura pendebat ad normam restituit, et a Magno Moschorum Duce postea evocatus. non-

« sed vel excogitare saltem posse? O nos

« miseros! o nos infelices! qui alienæ stultitiæ et temeritatis pœnas tuimus. Vagatur, liber, quoquo vult, post vinum et epulas, ille regnorum et divitiarum impudentissimus largitor; nos vero, qui tantum imprudentia peccavimus, qui hominibus stolidi somnia non deteximus, post cruciatus et tormenta in hoc infelicissimo carcere detinemur. Non negaverim ego justum fuisse pontificis dolorem, justam, in tanta re præsertim, quæstionem; sed deberet, re deprehensa et cognita, nos tandem qui clementiæ suæ futuri sumus simulacra et imagines, a tanta miseria liberare, his præsertim diebus quibus Salvator noster clementiæ, pietatis, misericordiam, et aliarum virtutum exempla, sanctissima illa ac saluberrima sua passionis in terris ad salutem humani generis reliquit. Multa sunt quæ principem decet, maxime vero pontificem; sed nulla virtus est quæ magis tantæ potentiae conveniat post religionem, quam clementia et misericordia. Ob hanc conservati, si non omnino insanabiles sunt, meliores deinceps fiunt. Sanabilia profecto sunt ingenia nostra, et si quid licentia scholastica, quæ in studiis universalibus ob disceptationes major osse consuevit, admisimus, hæc adhibita castigatione ita constanter emendamus, ut oves quas perditas esse Dominus arbitrabatur inventas tandem sua diligentia lætetur et gaudeat. Te igitur, Rme et optime Pater, quem semper ob dignitatem et singularem doctrinam cum admiratione laudamus, quemque unicam litteraturæ et eruditionis tam Græcæ, tam Latinæ, columnam ducimus, suppliciter rogamus, manus ad te tanquam ad saluberrimum sidus tendentes, ut tu omnium doctissimus eruditionis studiosos et cupidos a tanta calamitate tuo patrociniis, tua auctoritate et gratia, quæ maxima apud pontificem est, ab hac captivitate vindices ac liberes. Habiturus nos es ob hoc non modo gratos et memores tanti officii, tantæ clementiæ, sed prosa et carmine amplissimarum laudum tuarum constantes ac indefessos præcones. »

102 LXXXVII.

Manificentiam vero qua Campanum, episcopum Interamnensem, prosecutus est, quod se carminibus celebrasset, ipsis referam Michaelis Forni verbis, qui Campani ejusdem Vitam descripsit (36).

« Nunc magni in hunc Bessarionis munificentiam operæ pretium erit explicare. « Urbs tota festivitibus et cantu aliquando exultabat, ut sit in carnis privis; debæchanti turba larvatorum, plausibus et cantu plena omnia. Magni Bessarionis oc-

nulla Moscorum ingentia ædificia a fundamentis erexit, ac signanter basilicam seu templum urbis maxime Deiparæ Virginis sacrum. Vid. Tiraboschi, *Storia della lett. ital.*, tom. VI, parte 1, p. 325, et Here. Zani. *Relat. itin. Moschici*.

(36) Vide Campani Oper. ed. Mediol. 1404.

« casionem noctis lectius laudandi Campa-
« nus epigramma hoc condidit.

*Bessarion, totum cui se concessit Apollo.
Et quo nil majus sæcula nostra vident;
Per te priscorum laudes excessimus, ire
In trulinam victor cum Cicerone potes.
Victa etiam per te magni Demosthenis ora,
Uberior per te Græcia facta tua est.
Pectoris at tanti minimas facundia partes
Obtinet, exiguum splendida verba patas.
Terra patet, pelagus notum, mens alta deorum
Cognita, scis cælum scisque quid astra ferant
Quicquid te latuit non est in rebus, ad omnes
Ingenium latebras it penetraque tuam.
Imperio ac rerum sceptris, et ad omnia natus
Unus mille geris pectora, mille sapis.
Ipsaque cum tantum fecit natura, videtur
In vires, quanta est, incubuisse suas.*

(37) Joan. Bonifacius in dialogo cui titulus : *Il Franchetta*, rem paulo aliter narrat; ait enim, Campanum in festis bacchanalibus Bessarionem adlisse, et personatum (quod vero absimile videtur) carmina quædam Latina in ejus laudem ad lyram cæli-

*Corpore in excelso majestas cana fatetur
Plus homine; heroum frons tibi, Bessario, est;
Et data cum fuerit tanta præstantia membris,
Di animam membris inseruere parem.*

« Quod cum larvatus ephebus vocalissimus
« festo die quodam, submodulante lyra,
« incinuisset, tantis perfusus lætitia laudibus
« ille, lyristæ, quos illa erant carmina, au-
« reos tot nummos elargitur; Campanum
« mox adventantem, factumque dissimulan-
« tem complexus: *Campane*, inquit, *Campane*,
« ubi sunt illi digiti qui tot de me mendacia
« scripserunt? et aureo geminæ adamanteo
« pretii 70 ducet. annulo donavit. Inde mus-
« tellina efferri jussa futura, quam ex variis
« nostri vocant, dono sibi olim a rege Polo-
« norum missa, cumulati muneris monu-
« mentum addit (37). »

nisse, pro quibus tot nummos acceperit quos illa fuerant; redeunti deinde absque persona cardinalem dixisse: *Ubi sunt illi digiti*, etc., apprehensaque ejus dextra haud modici pretii annulum inseruisse.

Hic exhibebat Auctor Dissertationis Catalogum operum Bessarionis, at parum accurate confectum et multis lacunis laborantem; quem ideo potius omittendum quam supplendum judicavimus. Vide infra eorundem operum recensionem accuratissimam ex Fabricio et Harlesio depromptam. Exit.

APPENDIX MONUMENTORUM ANECDOTORUM

PARTIM EX ARCHIVO BASILICÆ SS. XII APOSTOLORUM, PARTIM EX VATICANA
BIBLIOTHECA DESCRIPTORUM.

103-115 !

Bulla reductionis canonicorum basilicæ SS. XII Apostolorum, facta per Eugenium papam IV.

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Bessarioni, basilicæ SS. XII Apostolorum presbyti, card., salutem et apostolicam benedictionem.

Dum ad personam tuam, quam divina clementia magnis illustravit muneribus gratiarum, paternæ dirigimus considerationis intuitum, et attente prospicimus quod tu Romanam Ecclesiam, ejus honorabile membrum existis, tuorum honores magnitudine meritorum, dignum, quin imo potius debitum reputamus ut ea tibi favorabiliter concedamus per quæ eum divini cultus instauratione animarum periculis et ecclesiarum tuæ curæ commissarum dispendiis salubriter occurratur. Cum itaque, sicut nobis nuper exposuisti, fructus, redditus ac proventus canonicatum et præbendarum basilicæ XII Apostolorum de Urbe, quæ tui cardinalatus titulus parochialis existit, ejusque parochianorum, qui in numero copioso sunt, animarum cura per illius canonicos regi consuevit, et in qua

unus cardinalis, quæ ipsam basilicam pro tempore obtinet, necnon octo canonici totidem inibi præbendas obtinentes ab olim instituti fore noscuntur propter hostiles incursus, guerrarum discrimina, mortalitatem, pestes, aliasque diversas calamitates, adeo tenues et exiles facti sunt, quod dilecti filii ipsius ecclesiæ canonici ex illis se commode sustentare non valentes, apud præfatam basilicam residere, illi in divinis deservire non curant, ac propterea ipsa basilica tam circa cultum quam regimen curæ hujusmodi magna hætenus passa fuerit, et nisi super his salubriter provideatur, majora in dies passura sit detrimenta, **116** et sicut accepimus, canonicatus et præbendæ prædictæ basilicæ, quos quondam Laurentius de Sordis, ipsius basilicæ canonicus dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Laurentii, qui in alma urbe nostra domicilium habebat, diem clausit extremum, vacaverint et vacant ad præsens; nos qui divinum cultum ubilibet et præsertim in ecclesiis dicte urbis, quarum nobis cura specialius est commissæ, jugiter intensis desideriis affectamus, volentes ea tibi concedere per quæ basilicæ statui et paro-